

servationem. *Χεῖρ δ' χεῖρα νίπτει*, i. e. manus manum la-
vat; & χάρις χάριν πίπτει, id est, gratia gratiam parit.

2. Virtus in communicatione tribuit vel gra-
tuitum, vel debitum.

3. Quæ tribuit gratuitum, est duplex: Officio-
sitas, & Liberalitas.

4. Officiositas est virtus communicativa gra-
tuiti, quâ homo promptus est ad aliis pro viribus
inserviendum.

SCHOL. Sunt qui Officiositatem faciunt speciem
liberalitatis, ut Timpl. in Ethica gen. lib. 3. cap. 9. Sed
præter Aristotelis & aliorum mentem vocem Liberalita-
tis generalius accipiunt. Nos doctrinæ & ordinis causâ
ita distinguimus, ut Officiositatis objectum ponamus
extra sumptus; Liberalitatis verò in sumptibus. Quoties
enim aliis gratificamur sine sumptuum impensis, propriè
officiosi dicimur, Germ. Diensthaftig / vel willfährig.
Diligenter autem cavendum, ne officia nostra aliis præ-
stemus in rebus malis & inhonestis; quia tunc Officio-
sitas nequaquam locum habere potest. Exemplum Offi-
ciositatis habemus in Rebecca, Gen. 24. v. 18. 19. 20. In
Jonathane, 1. Sam. 19. v. 2. 3. & seqq. & c. 20. toto. Quum
autem amicorum in primis sit, mutuis, iisque honestis offi-
ciis certare, ex amicorum catalogo huc exempla trans-
ferri possunt.

5. Officiositati in excessu opponitur nimia
officiositas, quâ homo plus quàm par est, aliis in-
servire studet.

SCHOL. In officiis præstandis circumspectum esse
debet, ne cuivis sine discrimine ea exhibere studeamus;
quod qui non observat, facilè mancipium fit, vel in con-
temptum adducitur. Nec sine causa dictum est à Ger-
manis: Angebottener Dienst ward nie wehrt. Certis ta-
men circumstantiis observatis officia sponte oblata suam
merentur laudem.